



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvitationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Sect. 2. An Deus velit aliquid necessario.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

7.  
 Ferrar.  
 Capreol.  
 Vasquez.  
 Molina.  
 Gillius.  
 Ruis.  
 Arrubal.

Nobiscum verò præter D. Thomam sentiunt Ferrarientis lib. 2. contra Gent. cap. 10. Capreolus in 1. distinct. 35. qu. 1. art. 2. Vasquez. 1. p. disp. 102. cap. 1. num. 2. Molina qu. 4. 1. art. 4. §. Tota huius rei difficultas est, Gillius lib. 2. tract. 2. cap. 4. num. 3. & sequentibus, Ruis disp. 2. de voluntate Dei sect. 1. Arrubal disp. 49. Cap. 2. nu. 6. & alij Recentiores.

## SECTIO II.

An Deus velit aliquid necessarium?

7.  
 Proponitur status questionis.

Dupliciter intelligi potest Deum velle aliquid necessarium. Primò, absolute, ita ut omnino non poterit non velle. Secundò, ex suppositione quia iam semel id voluit, & non potest non velle iam, aut velle oppositum; ratione fidelitatis, vel iustitiæ, vel constantiæ & immutabilitatis suæ voluntatis. De priori sensu quæstio in præsentia est, ad quam respondeo affirmative. Sicut enim intellectus diuinus circa quædam obiecta versatur naturaliter, ac necessariò simpliciter & absolute, nempe circa veritates absolute necessarias, quarum scientia est Deo naturalis, necessaria, & essentialis; circa alia verò contingenter: nimirum circa veritates quæ potuerunt non esse, & consequenter non sciri: ita voluntas diuina circa quædam versatur necessariò, circa alia liberè. Et necessariò quidem, atque essentialiter est amor sui ipsius, & fructio sui, ac lætitia de seipso tanquam pulcherrimo & optimo, cum absolute & simpliciter, tam sibi ipsi. Est enim Deus necessariò & essentialiter beatus. Beatitudo autem consistit in visione & fructione Dei, summè poni: Quare Deus necessariò & essentialiter videt seipsum, ac fruitur seipso per amorem & gaudium beatificum. Item talis actus voluntatis circa essentiam diuinam, & omnia eius attributa necessaria & notionalia, est omnino bonus atque perfectus, & necessarius ad summam perfectionem & beatitudinem completissimam & absolutissimam, quam in Deo essentialiter ponere conuenit. Nec maior est difficultas quòd Deus sit essentialiter sui amor & sui fructio; quam quòd essentialiter sit sui cognitio & comprehensio.

9.  
 Cum autem dico Deum esse necessariò & essentialiter amorem sui ipsius, intelligo quoad essentiam & attributa absolute necessaria. Non autem quoad actus contingentes ut tales: neque quoad gloriam externam, & alia bona sua extrinseca, quæ per creationem & liberas suas operationes querit, cum omnia propter semetipsum operatur, vultque speciatim à creaturis intellectualibus coli, adorari, amari, orari, laudari. Intelligo præterea Dei amorem circa suam essentiam, & attributa supradicta, necessarium esse, non modò quoad speciem actus: sed etiam quo-

ad exercitium. Quatenus non potest Deus illas perfectiones diuinas non amare actus: sed necessatur omnino earum inabilitate tum omnium collectiue, tum sigillatim cuiuslibet, spectatæ secundum proprium esse diuinum. Ita ut v.g. sub ratione sapientiæ diuinæ, sit necessariò sibi ipsi amandus: & sub ratione omnipotentia, immensitatis, æternitatis, Paternitatis, Filiationis, Spiracionis, & sic de alijs.

10.  
 Des est essentialiter amor simpliciter complacentia omnium bonorum possibilium, & odium simplex malorum possibilium: malorum, inquam, quæ simpliciter mala ac turpia sunt: & bonorum, quæ simpliciter bona, & amore sunt digna. Nam & hoc ipsum est vera, & pura perfectio, nulli repugnans meliori aut æquali: idèoque Deo essentialiter tribuenda, quippe qui est essentialiter omnis vera, & pura, seu simplex perfectio. Confirmatur, quia omne bonum est dignum amore; & simplex amor illius, ut possibilis, non potest esse nisi bonus & læcens, neque repugnat ulli perfectioni. Tale quoque odium simplex malorum turpium ac deformium, non potest esse nisi rectum & bonum, nulli repugnans perfectioni, & omnino coherens cum intelligentia diuina, quæ omnia mala turpia & deformia reprobat. Quare cum talis amor bonorum, & tale odium malorum, sit pura perfectio; & omnis pura perfectio sit in essentia Dei, qui per essentiam suam est perfectissimus; oportet ut vtrumque sit in essentia Dei, sique essentialiter Deo formaliter.

11.  
 Dixi amorem simplicis complacentia, & odium simplicis displicentia. Nam tales actus sunt simplices voluntatis affectiones, sine efficacitate, non obstantes, nec repugnantes ullatenus diuinæ libertati ad eadem videnda vel nolenda efficaciter.

Dixi præterea, circa bona vel mala simpliciter talia, & absoluta necessitate. Nam si quæ sunt non-necessaria ut talia, non cadunt etiam necessariò sub actus prædictos.

Dixi tertio, circa eadem ut possibilis, non autem ut actu existentia, vel ut actu non-existentia, seu contracta cum negatione existentia (quo pacto differunt à mera consideratione possibilitatis, non minus quam ut existentia) quia ut talia, necessaria non sunt, sed contingentia, circa quæ ut tali, versatur Deus libere volendo vel nolendo, præsertim efficaciter: potuitque Deus ab æterno nihil velle efficaciter: quia omne bonum creatum nec est Deo necessarium, nec volendum necessariò, id est, nullum est deestitum volendi illud, & Deus illo non indiget siue ad deceptam, siue ad commoditatem, sed sibi ipsi sufficit.

Ceterum Deus non tantum amat possibilis ut sunt in sua omnipotentia; verum etiam in se, ac per se. Neque tan-

tum mediata, ratione suae ipsius bonitatis; sed etiam immediate & directe propter se ipsa. Nam & hoc perfectio est, nulli repugnans meliori aut aequali, ut sequenti sectione declarabimus.

D. Thomas Scotus.

Vasquez Suarez.

In eo quod dictum est Deum amare naturaliter possibiliter consentiunt D. Thom. qu. 37. art. 2. ad 3. Scotus in 3. distinct. 32. qu. vnica in principio, & alij, quos citant & sequitur Vasq. disp. 79. cap. 2. & Suarez idem probabile censet disp. 30. Metaphys. sect. 16. num. 41. vbi oppositam sententiam dicit tantum esse probabiliorum. Verba D. Thomae loco citato haec sunt: *Sicut pater dicit se, & omnem creaturam, Verbo quod genuit, in quantum Verbum sufficienter representat Patrem, & omnem creaturam: ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu sancto, in quantum Spiritus sanctus procedit ut amor bonitatis primae, secundum quam pater amat se, & omnem creaturam.* Haec D. Thomas. Certum autem est Spiritum sanctum non procedere ex amore libero, sed naturali & plane necessario. Quod verò idem ait qu. 19. art. 3. Deum non velle necessariò alia à se, nisi ex suppositione: intelligi debet de voluntate efficaci circa creaturas.

13. Contraria sententia.

Contrarium tamen sentiunt non pauci, ac primò S. Bonavent. in 1. distinct. 45. art. 1. quæst. 2. videtur sentire Deum non habere actum amoris circa omne amabile, sed tantum circa ea quæ sunt, aut fiunt. In qua opinione videri possunt fuisse alij, qui de amore Dei circa res possibles nihil dicunt: videntur enim supponere quiusmodi amorem in Deo non esse. Quod probari potest: quia amare est bene velle, Deus autem nihil boni vult rebus tantum possibilibus; ergo non amat. Deinde quicquid amatur, debet habere rationem boni: at res tantum possibles non habent rationem boni, ex D. Thomae qu. 6. vbi passim, affirmat vnumquodque esse bonum secundum quod est in actu: ideoque art. 3. ad 3. negat materiam primam esse bonam, quia non est in actu: Et similiter negat entia mathematica esse bona, quia non existunt. Alij verò Recentiores fatentur, Deum posse habere actum voluntatis circa res possibles, & probabiliter tenent illum habere; sed contingenter tantum ac libere, non autem naturaliter & necessariò. Quia absurdum est, inquit, divinam voluntatem moueri necessariò à finibus & exiguis bonis, cuiusmodi sunt plurimæ rerum possibilium. Addunt id repugnare divinæ libertati de iisdem efficiendis: & bona illa esse diversi ordinis à Deo, ideoque non necessariò amabilia respectu Dei.

14. Respondetur argumentum negantium Deum amare necessariò possibiliter.

Ad primum D. Bonaventuræ, nego amare vniuersaliter, esse idem ac bene velle. Etenim præter benevolentiam, est simplex complacentia: sicut præter malevolentiam, est simplex displicentia. Multoque minus ad dilectionem opus est aliquid conferre. Nam Deus diligit se, & tamen sibi nihil conferre potest. Ac licet Deus extra se ni-

hil conferre vellet, tamen verè diligeret possibiliter bona, ut talia, complacendo sibi de ipsorum bonitate possibili, eamque gratiam habendo & acceptando. De iis etiam quæ contulit, gaudet & sibi placet, sine noua collatione vltiori, ne abeat in infinitum. Quare non est verum generaliter discrimen illud, quod aliqui dant inter diuinam voluntatem, & nostram; quòd Deus conferat omni amato bonitatem per amorem, non verò præsupponat bonitatem amori, contra quam eos. Nam amor complacentiæ in bono collato, non confert bonum, sed collatum præsupponit.

15. Possibilia habent rationem boni & amabilis.

Ad secundum, nego entia possibiliter non habere rationem boni & amabilis. Nam bonitas non consistit tantum in actuali existentia, licet ut si bonitas actualis, seu entitas actualis, requirat actualem existentiam. Sed quemadmodum intelligitur entitas possibilis: ita debet intelligi possibilis bonitas, quæ est eadem cum entitate. Ac Deum velle & exoptere multa, quæ nec habent, nec habuerunt, nec vnquam habebunt existentiam, manifestum est ex Scriptura 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes saluos fieri* &c. certum enim est non omnes saluari. Vult etiam Deus quæcunque præcipit, quorum tamen per multa nunquam fiunt. Neque dici potest quòd Deus tantum habeat voluntatem præcipiendi ea quæ præcipit: nam non ludit, neque mentitur, nec fallit: & tamen vult ut voluntas suæ esse, ut fiant quæ præcipit: ne dubium est, quin fiat contra ipsius voluntatem, cum non fit quod præcipitur. Quare Deus vult quæ præcipit, quæ tamen non sunt futura.

Ad auctoritatem D. Thomae Respondeo, intelligendū esse de bonitate & bono actuali: & non negare materiam primam esse bonam absolute: quin potius ait expressè materiam primam, sicut est ens in potentia, sic esse bonam in potentia: quo pacto entia quoque mathematica bona sunt, pro modo suæ entitatis.

16. Amor ille non Deum dedecet.

Ad tertium Respondeo, voluntatem diuinam non moueri physice, aut metaphysice à rebus possibilibus, per modum causæ finalis; sed naturaliter, sine ulla causalitate & productione actus, esse amorem complacentiæ circa illa ut amabilia: quemadmodum est cognitio naturaliter & essentialiter eorundem possibilium. Quòd autem hæc sint finita, & diversi ordinis, non magis obest voluntati, quàm intellectui diuino. Sufficit enim ordo & proportio potentiæ & obiecti; licet ordo entitatis diuersus sit, & proportio substantialis mathematica, vel geometrica, certi excessus, nulla sit. Non etiam id repugnat libertati: cum Deus maneat liber ad volendum efficaciter, aut non volendum bona possibiliter. Neque est contra dignitatem essentiae diuinæ, cum bona possibiliter sint participationes diuinæ bonitatis, & Dei ipsius bona, sintque

digna amore complacentiæ, & non possint non esse digna, tanquam conformia exemplari honoris diuinæ, & bona opera diuina possibilis, quibus optimè conuenit amor complacentiæ. Idemque dicendum est de odio displicentiæ circa mala possibilis, vt talia.

17. Instabis, quæ creaturæ possibilis non habent bonitatem, quæ necessitare possit voluntatem diuinam ad ipsarum amorem: Tum quia habent bonitatem limitatam: Solum autem obiectum infinitè bonum vnde quæq; potest necessitare ad amorem sui, quando clarè videtur: Tum etiam quia Beati clarè cognoscentes possibilis, vel in Dei omnipotentia, vel in seipsis, non propterea necessitantur ad ipsorum amorem. Ergo multò minus habent vim necessitandi diuinam voluntatem. Nec par est ratio de intellectu, & voluntate diuina, circa possibilis. Nam

D. Thomas vt rectè ait S. Thom. quæst. 19. artic. 3. ad 6. diuinum scire habet necessariam habitudinem ad scilicet: at non diuinum velle.

18. Respondeo, necessitatem amoris diuini erga bona possibilis, oriri ex perfectione diuinæ voluntatis, quæ cum summè perfecta sit atque rectissima, amat necessariò id quod est necessariò amabile, id est, quod non potest non esse bonum & amore dignum: liberè autem, id quod tantum contingenter est bonum & amabile. Bona autem possibilis, quæ talia, quamuis finita sint bonitatis, sunt necessariò bona & amore digna. Quare Deus amat illa necessariò vt talia. Contingenter autem & liberè amat eadem bona vt existentia, quia contingenter tantum, & non necessariò, habent bonitatem actu existentem. De hæcatis verò non est par ratio, quorum voluntas non est eiusdem rationis & perfectionis cum diuina. D. Thomas denique loco citato sic est intelligendus: quod intellectus diuinus fertur necessariò in obiecta scita, posita eorum scibilitate. At voluntas diuina non fertur necessariò voluntate efficaci in obiecta volita efficaciter, præsupposita solum eorum amabilitate. Adhuc enim Deus est liber ad volendum efficaciter, vel non volendum. Neque vult efficaciter, quicquid potest efficaciter velle.

### SECTIO III.

An Deus amet necessariò mala culpa vt possibilis?

19. Heric.

Quæres, an Deus amet necessariò entitatem actus peccatorum, vt possibilem. Affirmat Hericè disput. 18. c. 1. num. 9. ratio eius esse potest, quia vt ait paulò post, num. 11. Peccata vt possibilis habent necessariam

connexionem cum omnipotentia Dei, quatenus illis sublati, non posset ipsa consistere secundum omnem perfectionem. Vnde cum Deus amet necessariò suam omnipotentiam, non potest non necessariò amare possibilis omnia: adeoque etiam ipsa peccata vt possibilis: quippe quæ habent necessariam connexionem cum illa. Neque hinc sequitur, inquit num. 9. Deum amare malitiam: quia peccatum non habet malitiam, sed entitatem, secundum possibilitatem quam habet à Deo: sed secundum possibilitatem quam habet à creatura.

Vt respondeam, suppono primò, entitatem actus peccatorum, siue vt possibilem, siue vt actualement & duplicem esse. Vna est intrinsecè mala, & prohibita quia mala, cuius modi est odium Dei, contemptus virtutis, blasphemiam, & similes: alia est indifferens de se, & tantum mala, quia prohibita, vt estus carniem die Veneris. Secundò suppono hanc esse differentiam inter actus internos voluntatis, & externos; quod omnis actus internus voluntatis (id est, omnis volitio & nolitio) qui est malus, est essentialiter & intrinsecè malus, id est, turpis & inhonestus, ita vt nulla ratione possit fieri honestus. Contrà verò multi actus externi mali, possent mutatis circumstantiis esse non mali: imò esse boni & honesti. Exempli gratia occisio hominis, si fiat sine causa legitima, est mala moraliter & inhoneste: si autem fiat ad iustam & necessariam defensionem, sui, vel patriæ, vel ad satisfaciendum læsæ iustitiæ, est bona & honesta. Ratio huius discriminis est: quia actus externi de se abstrahunt ab huiusmodi circumstantiis ex quibus boni vel mali redantur, suntque de se indifferentes vt hoc aut illo modo fiant. At verò actus interni mali, per se primò sunt intrinsecè & essentialiter mali, quia sunt volitio aut nolitio obiecti sui, sub ea ratione, sub qua non potest nisi turpiter terminare volitionem aut nolitionem, quæ ratio est pars totius & integri obiecti volitionis aut nolitionis eiusmodi. Exempli gratia, volitio occidendi quæ est mala & culpabilis, est volitio occidendi sine causa legitima, & in iis circumstantiis in quibus mors non potest licitè inferri. Volitio furandi est voluntas auferendi se, alienam domino iniuriæ ratiopabiliter. Volitio turpis comedendi carnem die Veneris, est voluntas comedendi contra præceptum Ecclesiæ, sine causa legitima excusationis.

His præsuppositis, sit hæc prima conclusio: Deus neq; necessariò, neq; liberè potest velle & amare peccatum, quæ peccatum formaliter, siue vt possibile, siue vt actu existens: neque per se sub ratione mali, id est, propter ipsam malitiam; neque per accidens sub ratione boni, id est, propter aliquod bonum coniunctum peccato, puta, utilitatem aliquam, aut delectationem. Ita docent omnes Theologi cum D. Thom. quæst. 19. artic. 9.